
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONALI,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS ADAMS, CHIRURGUS,
ANGLO-BRITANNUS,
SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.

350337

VIRI FORTISS

CLARK, M. D.

CALL FOR THE

Get the latest news from the University of New Orleans

Telephone

Address of the University of New Orleans
New Orleans, Louisiana

UNIVERSITY OF NEW ORLEANS
LIBRARY

ANNE HARRISON, M.D.
CUMMINGS



THE UNIVERSITY OF NEW ORLEANS
LIBRARY

NEW ORLEANS, LOUISIANA

STUDY OF THE

THE

GILLESPIE, A. B. M. S.

VIRIS EGREGIIS,

JOANNI CLARK, M. D.

COLL. REG. MED. EDIN. SOC.

Qui per multos annos artem salutiferam in Novo Castro
felicissime exercuit;

PROPTER MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA:

NEC NON,

ANDREÆ WARDROP, M. D.

COLL. REG. CHIR. ED. SOC.

PRÆCEPTORI DE SE OPTIME MERITO,

SUB CUJUS DUCTU MEDICINÆ ELEMENTA PRIMUM DIDICIT:

HANC DISSERTATIONEM QUALEM CUNQUE,

STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. CQUE

GULIEMUS ADAMS.

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 351

LECTURE 1

MECHANICS

PROBLEM SET

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

GULIELMO ADAMS, AUCTORE.

INSTITUTIS ornatissimæ hujus Academiae, quâ decet diffidentiâ, obtemperaturus, quæ postulant, ut quicumque honores Apollineos ambiunt, aliquod progressus specimen ederent, statui pauca de phthisi disceptare. Concedetur hunc morbum inter tristissimos, quibus plectitur gens humana, facile enumerari; optimo igitur jure summam medicorum attentionem sibi vindicare.

A

Hunc

Hunc morbum accuratissimè definivit CULLENUS: “Corporis emaciatio et debilitas cum
“tussi, febre hectica, et plerumque expecto-
“ratione purulenta.”

Divisionem phthiſeos in incipientem et confirmatam, quam assumſit idem cel. vir, utpote simplicissimam, in hac dissertatiuncula sequimur.

HISTORIA MORBI.

NULLA ætas ab hoc morbo omnino immunis existit; frequentius autem multo homines aggreditur inter decimum sextum et trigessimum quintum ætatis annum: At neque impuberes neque senes insultus ejus evadunt; et infantes, vix vitales auras carpentes, phthiſi correpti corruerunt; et quoque feminæ quæ pueros enixæ sunt, menstruis cessantibus, aliquando hoc morbo corripuntur, nullis phthiſeos

seos indiciis ante hoc tempus observatis; sed exceptiones paucæ regulam generalem haud infirmant.

Obrepit plerumque phthisis tempore brumali, et stipatur tussiculâ crebrâ, siccâ, nocte et auroram versus præcipue molestâ, dolores pectoris et lateris sæpe movente; eodem tempore sæpe levis febricula adest; respiratio evadit difficilis, et exercitatione etiam levissima acceleratur; corpus macrescit, et æger impar suis officiis obeundis languore opprimitur; ad præcordia ponderis et oppressionis sensus percipitur; a pastu calor febrilis augetur, et haud raro excitatur vomitus, dum facies colore rubicundo suffunditur; volæ manuum et pedum plantæ calore urente sæpe afficiuntur.

Aliquando morbus ita lente procedit, ut hæc symptomata per menses, etiam per annos integros, in statu supra memorato perduraverint. Interea nil queritur æger, nisi quod

omnibus quæ a frigore proveniunt malis facilius objiciatur; hæc tuffim augeant, levemque catarrhum excitent, remediis ufitatis facile fopiendum; exinde nil mali augurans ægrotus.

Initio mali arteriæ sæpe fatis naturaliter micant; fed, morbo progrediente, frequentiores, duriores, et aliquando pleniores evadunt. Lingua est alba, et ad partem posteriorem flavedine tinctâ. Ab initio cibi appetentia haud multum profternitur, et aliquando admodum acris est; hoc fymptoma, ab aliis sæpe prætermiffum, a venerando medicinæ patre notatur.

Alvus plerumque astricta est, præfertim cum fudores matutini sese ostenderunt, urina coloratior est, et fedimentum lateritium copiofe deponit. Sitis exigua, et os fere humidum est; morbo progrediente, lingua fit nitida; verfus finem vero, lingua et fauces teneriores rubræ

rubræ et quasi inflammatae deveniunt, et aphthis sæpe obteguntur.

Omnia hæc symptomata, æstate placida et æquabili, multum levantur, nonnunquam omnino evanescunt, hieme appropinquante auctis viribus reditura, et tandem, duobus tribusve elapsis annis, exeunte vere, vel incunte æstate mortem afferunt; hinc sub forma catarrhi latet insidiosus hostis, medico opus esse nunquam monens, donec insuperabilis evaserit.

Procedente morbo, tussis fit durior et magis violenta, raro somnus placida reficit membra, punctiones thoracis et laterum magis sæviunt.

Adhuc expectoratio fuerit parca, sed nunc copiosa, viscida, opaca, et puriformis evadit, colore subflavida vel viridis, et sæpe odorem fætidum exhalat. Ad hoc tempus, et aliquando maturius, in fæminis hoc morbo implicatis cessant catamenia; hinc omnia sua deducunt
mala;

mala ; sed vera causa clinicum expertum haud latet.

Nunc febris fit magis fixa, et remissionibus magis notabilibus comitatur ; accessiones meridianæ crescunt usque ad vesperem, et donec erumpat sudor matutinus, perstant ; quo tempore aliquid levaminis accipit æger. Aliquando, materiâ excreatâ minus tenaci evadente, tussis multum remittit, pulmones minus quatiuntur, dolores pectoris et laterum multum mitigantur ; et ægrotus spem sanitatis recuperandæ pascit inanem, quæ eum nunquam fere ad ultimum destituit.

Nunc hæctica exquisitè formatur, et remissiones et exacerbationes regulariter mutuo sese excipiunt, ægro materiam purulentam libere expuente, tunc phthisis *confirmata* dicitur. Morbo ad finem infaustum urgente, supervenit diarrhœa colliquens, sudoribus matutinis alternans. Dum exacerbatur hæctica, macula florida

rida

rida et circumscripta super utramque genam depingitur. Labia et carunculæ lacrymales præter naturam rubent. Oculi fiunt languidi et in orbitas subsidunt; rubra adnatæ vasa evanescent; nares graciles fiunt et accuuntur; tempora deprimuntur; vocem clangofam interrumpunt dyspnœa et singultus. Omne corpus extrema macie consumitur; extremitates inferiores tumescunt; ungues incurvantur; capilli decidunt; tandem delirium accedens mortem jam amicam porrigere manum, denunciât.

DIAGNOSIS.

MAXIMI sane est momenti, ut phthisis *incipiens* a catarrho probe dignosceretur; et hoc suis difficultatibus non carere, sagacissimi etiam medici testantur.

Tussis quæ phthisim incipientem comita-
tur,

tur, per multos menses, sæpe levis, sicca, et titilosa manet; per intervalla subit; modo lenis est, modo gravior; hora somni et mane exacerbatur, et levi dyspnœa stipatur. Circa pectus oppressio sentitur; et plerumque decubitus in unum quam in alterum latus difficilior est; vomitus quoque haud raro postum subsequitur, et corporis vigor magis quam in catarrho minuitur.

E contrario autem, tussis catarrhum comitans, constantior et sæpe acrior est, et expectoratio etiam a principio morbi plerumque libera est, adest sæpe Coryza; neque urget dyspnœa, neque vomitus; non deficiunt vires: hæc symptomata, quoque, usitatis adhibitis remediis, facile removeri possunt.

Phthisis confirmata, febre hæctica et expectoratione purulenta stipata, nullo alio morbo confundi periclitatur.

Diu

Diu incubuerunt auctores medici, et varia protulerunt experimenta, ut mucum inter et pus discernerent, sed haud felici eventu. Hippocrates affirmat iputum pus considerari debere, si, aquæ marinæ allusum, inum peteret, sin minus supra sese teneret, mucum; at plane constat pus aëri admixtum facile innatare. Nec magis fidendum est alteri, quod proposuit, discrimini, nimirum odori fœtido quem emittit pus igni injectum; quia bene notum est hoc quoque a mucos fieri.

Ex experimentis, quæ instituit ingeniosus Carolus Darwin, deducit, pus et mucum in acido sulphurico dissolvi; at posterior solvitur facilius, et, tali mucos solutioni aqua adjecta, mucos separatur, et observatur vel superficie innatans, vel discerptus in flocculos in liquore suspenditur. Sin autem solutioni puris aquam adjicias, pus vel fundum petit, vel ita per liquorem diffunditur, ut omnino turbidus appareat. Idem perhibet, si aqua so-

lutioni puris in alkali caustico adjiciatur, pus præcipitari; mucum vero sic solutum, aqua addita, nullam mutationem subire.

Dr Brugmans, in libro quem de Puogenia edidit anno 1785, observavit mucum, in tepidario positum, nunquam acescere, et lentissime in fermentationem putridam rapi: pus vero subito acescit et paulo post putrescit. De his et aliis hujusmodi experimentis multum ambigitur, et fatendum est et dolendum ea parum ad hanc litem dirimendam valuiffe. Observationibus quoque constat, pus sæpe sine ulla ulceratione ex membranis mucosis fecerni *.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

JUVENES circa pubertatem † molliori et
delicatiore

* Vide Hewson de Lymphat.

† Vide Aphor. Hippocr.

delicatiore corporis compage præditi, subito crescentes, proceri et macilenti, quibus longum collum, arctum pectus, humeri elati, vultus floridus, cutis mollis et albida, labium superius tumens, hi facillime phthisi patent, præsertim si a parentibus, qui phthisi vel scrophula laboraverunt, orti fuerint; vel ipsi tumores scrophulosos passi, si catarrho proni sint, si quando frigori quam minimo objecti fuerint; aliquando etiam, sine ulla causa evidente, tussitilloso molesta sollicitantur.

Fœminæ magis huic morbo quam viri obnoxii sunt. Hoc forsan e structura corporum eorum delicata colligi potest; conferunt quoque arctæ ligaturæ quibuscum mediani corporis partem investiunt: "Very straight lacing and straining
 " for a fine shape hath made many a fine girl
 " spit blood, and ruined the lungs*." Haud mirum est puellas sese hoc modo deformantes sæpe hæmoptyli corripri, impedita nimirum re-

B 2

spiratione,

* Huxt. on Pleurisy, p. 234.

piratione, et fanguine in pulmonibus nimis congesto.

Scriptores medici sæpe animadvertunt, artificissimum intercedere nexum phthysin inter et scrophulam ; et quidam non dubitarunt affirmare, hos morbos situ solum differre. Sed non facile erit explicatu, cur hi morbi diversis vitæ stadiis homines adorianantur.

CAUSÆ EXCITANTES.

VARIÆ causæ phthiseos excitantes enumerari solent, nimirum exercitatio nimia, cibi et potus ingurgitatio, pathemata infrenata, vita sedentaria, affectiones animum contristantes, evacuationes solitæ subito repressæ, frigoris, præcipue cum humiditate juncti, applicatio. Sed non constat, has causas morbum excitare valere, nisi adfit labes hæreditaria.

Exanthemata

Exanthemata, hæmoptylis, pneumonia, catarrhus, asthma, et tubercula, inter causas excitantes a CULLENO numerantur. De his restat ut pauca ordine dicantur.

Medicorum experientia jam comprobatum est, phthisin variolæ, morbillis, et febre, scarlatinae sæpe succedere, sed an hoc fiat materia acri absorpta, et quomodo agat hæc materia, non bene adhuc intelligitur. Opinatur Dr Swediaur phthisin acrimonia syphilitica aliquando gigni; sed fundamento parum firmo nititur hæc opinio.

Pneumonia, resolutione haud finita, in suppurationem plerumque abeat, unde nascuntur ulcera, quæ tamen sanationem admittunt.

Catarrhus phthisin excitare sæpe videtur; sed hoc in plerisque casibus valde ambiguum, quia phthiseos incipientis tussis pro catarrho haud raro habetur.

Haud

Haud in dubium vocatur, quin asthma accessionem phthiseos maturet, tubercula in inflammationem et suppurationem rapiendo, valido, quo concutit pulmones, motu. Simili ratione tussis convulsiva morbum festinat.

Inter phthiseos causas tubercula præcipuæ jure habentur; ut sectiones cadaverum clare monstrarunt. Multum magnitudine variant; aliquando semen finapi haud superant; alias, fabam majorem adæquare reperiuntur, et acervatim plerumque congeruntur. Secta, albida, lævia, et cartilaginosa apparent. Tubercula ulterius augmentata nomine vomicarum gaudent: hæ quoque variant ex semipollice ad tres quatuorve pollices latitudine, et forma ovali præditæ sunt; materies in iis contenta, nunc albida, nunc flava, vel subviridis, et aliquando foetida est; natura multum referunt tumores qui in scrophulosis occurrunt, eodem tempore anni molesti sunt, in ulcera mali moris æque proni; æstate levantur

et

et aliquando evanescunt, hieme iterum recurrunt; similitudo sane adeo manifesta est, ut nihil magis.

Alius causæ excitantis mentionem fecere Morgagni et Ramazzini, iis maxime infestæ, (ut lanariis et aliis artificibus), qui pulveri obiecti sint; pulvere enim in pulmones accepto, hi irritantur et inflammantur. Hac autem causa raro, in hac regione saltem, observata est, etsi, ut auctores supra relati testantur, in regionibus magis australibus frequentius causa phthiseos existit.

CAUSA PROXIMA.

Hic varias de causa phthiseos proxima opiniones enumerasse, supervacuum omnino duximus. Sat fuerit observasse, ulcera pulmonum fontem præbere unde omnia profluunt mala. Hanc opinionem observationibus tam firmis stabilitam

stabilitam haud infirmant pauca exempla a Willis et De Haën recensita, ubi ulcera defuisse creditum est.

RATIO SYMPTOMATUM.

QUONIAM tam multa, ad leges œconomix animalis pertinentia, alta caligine adhuc involvantur; haud mirum erit, omnia signa, quæ in hoc morbo occurrunt, plenam enodationem nequaquam admittere.

Tussis in primo morbi stadio sese manifestans, haud dubie tuberculis teneram bronchiorum membranam irritantibus tribuenda est; morbo provento, mucus solito abundantior quoque fecernitur, et pus in vesiculas aeriferas et bronchia effunditur; unde molesta irritatio semper adest.

Dyspnœa et Oppressio.—Hæ haud inepte re-
legendur

legentur tuberculis bronchia et vesiculas aereas prementibus, libero aeris introitui obstantibus. Impediunt etiam quo minus sanguis per pulmones facile viam legaret, unde dyspnœa, sanguine majore impetu irruente, multum augetur.

Hæctica. Plerique auctores credunt hanc ex suppuratione externa solum originem ducere, et materiei resorptæ referendam esse: bene autem innotuit, hæcticam aliquando morbos comitari, ubi nulla suppurationis suspicio existebat.

Crurum intumescencia. Hæc a majore quantitate fluidioris sanguinis partis in telam cellulosam effusæ, pendet: quod enim lentius et languidius sanguis per corpus movetur, eo major renixus transitui sanguinis ex arteriis in venas. Hinc plus justo exhalatio augetur.

PROGNOSIS.

PHTHISIS etiam a principio periculi expers nunquam existimanda, et prognosis plerumque infausta est. Semper, quo diutius perstiterit, eo difficilius sanatur. In primo morbi stadio, si vires non sint multum imminutæ, respiratio facilis, tussis levis, vox clara, calor naturalis, sunt, si inflammationis pulmonum absint indicia, et nulla labis hæreditariæ suspicio; remediis rite adhibitis, faustam morbi terminationem augurari liceat.

E contrario, autem, si vires multum sint fractæ, corpus macie confectum, tussis frequens et molesta, materies excreta copiosa, foetida, puriformis; respiratio difficilis; si accesserint sudores matutini diarrhœa liquente alternantes; et tumores œdematosi artus inferiores occupaverint, de ægro actum est.

DrCOLLEN affirmat. accessionem maniae omnia symptomata interdum summovisse, et aliquando morbum penitus sanasse; sed, decedente mania, phthisis recurrit et infauste terminavit: Præterea observat, dum uterum gerunt mulieres phthisi laborantes, symptomata sæpe mitescere, majore vi post partum reditura.

RATIO MEDENDI.

AUCTORES medici, cum antiqui tum recentiores qui de phthisi pulmonali scripserunt, omnes in hoc consentiunt, phthisi, etiam incipienti, difficillimè succurri, provectam omnino insanabilem esse. Sed exempla quædam morbi etiam ultimo stadio, ubi de ægro jam actum esse omnibus persuasum erat, felicissimè debellati, nos monent ne solum studiosi simus viam letho faciliorem reddendi, obliti spem vitæ jam superesse, si morbum fortiter oppugnare nosmet accingamus.

Quod ad consilia medendi attinet; licet im-

primis observare, causas excitantes esse removendas ; sed de his verba facere nos a scopo deflecteret.

Consilium causæ proximæ, nempe, ulcerationibus pulmonum occurrendi, instituire, parum conveniret ; quippe haud nobis suppetunt medicamenta huic fini accommodata ; neque recta aliquid partibus applicandi ulceratis nobis facultas est ; et omnibus patet, quam difficile ulcera scrofulosa, etiam externè sita, remediis parent.

Cum ita res se habeat, sequentia consilia, utpote aptiora, attentionem magis vindicant.

1mo, Quo minus tubercula in inflammationem rapiantur, prohibere.

2do, Avertere cursum sanguinis a pulmonibus, exhalationem cuticularem augendo.

3tio, Symptomata maxime urgentia mitigando.

Primo

Primo consilio accommodatur sanguinis detractio. Morbo adoriente, cum tussis crebra, sicca, moleste urget, et dolor thoracis acutus, fixus, sub inspiratione auctus adest; si respiratio haud commode procedat, facies rubore suffusa, et corpus calidum est, in hoc statu sanguinis missionem debitis intervallis repetitam, prout symptomata postulant, multum commendarunt auctores plurimi haud parvi nominis, neque immerito. At sexus, vires ægri, atque consuetudo sanguinis mittendi, prius bene sunt perpendenda quam ad hoc remedium confugere liceat: exinde enim consilia de ejus usu sunt repetenda; non, verò, prorsus fidendum illustr. Boerhaavio, qui ait: “ Venæsectio larga tertio quoque die ad quartam vicem fit repetenda, vel donec crassa inflammatoria integre disparuerit;” multum enim abest, ut ad hoc signum respiciamus; nam sæpe accidit, gravissima inflammatione urgente, ut nulla crassa appareat; et rebus ita minutis afficitur, ut etiam forma
valis

vasis, in quod recipitur, sanguis hujus crustæ formationi nunc faveat, nunc obstet.

Si autem æger materiam purulentam libere exspuat, et hæctica cum remissionibus et sudoribus matutinis infestet, si macrescit corpus, et vires multum defecerint; hoc remedium parum conveniret, etsi enim symptomata pro tempore mitiget; tamen vires jam labefactas rapide consumendo exitum fatalem festinat.

Regimen antiphlog. Initio morbi, regimen antiphlogisticum sedulo observandum, frigore excepto, cui semet objicere ægrum quam maxime caveat oportet. Calor nimius cura haud minore evitandus; quia diathesin phlogisticam auget, et hæmoptysis causa excitans sæpe evadit.

Omnia quæ animum deprimunt arcenda, et quæ gratè recreant invitanda sunt. Exercitatio violenta, et quicquid actionem musc

- lorum

lorum nimis intendit, præcipue omnia quæ respirationem accelerant, nempe lectio, contentio vocis, cantus, &c. sunt prohibenda.

Nulla sane hujus regiminis pars magis attentionem medicorum vindicat, quam ea quæ ad diætam spectat, et parum proficit alia observasse, si hæc neglecta fuerit. Neque nimis nutriens neque nimis parca esse debet; medium tenent locum lac et farinacea, quæ ex omni ævo medicis multum laudata fuerunt.

Lac fluidum est, mite, blandum, phthificis accommodatissimum, utpote alimentum vegetabilia inter et animalia præbens, sed nulli phthiscos debellandæ vi specifica præditum est. Lac varii generis diversi commendarunt auctores; nunc autem probe constat, lac asininum palmam omnibus aliis eripere, plus enim parte saccharina, minus coagulabili et oleosa abundat;

hinc

hinc factum est ut non tam facile in ventriculo cogitur, neque ægrum multum onerat.

Quoniam lac ipsum facile cogitur, et sæpe multum gravat ventriculum, ferum lactis, et præsertim ferum caprillum, frequentèr in quibusdam Angliæ partibus usurpantur. Prava consuetudo liquores spirituosos cum lacte miscendi nimis reprobari non potest. Lac ebutyratum, utpote refrigerans et acescens, sæpe admodum gratum est, et haud sine fructu moderate assumi potest.

Dr Reid lac muliebre omnibus aliis præponit. Lac quoque rosæ conditivis vel baccis conservatis, si deficient recentes, mixtum, haud male respondet. Præparatio e glacie conflata, Anglice *ice-cream* dicta, remedium est haud contemnendum, præsertim ubi ad hæmoptysin proclivitas adest. Ostreis et omnibus testaceis, modo ventriculum non gravent, moderate uti licet.

In statu morbi proveciore, viribus multum labefactis, cibus e carne conflatuſ, parva quantitate aſſumptuſ, debilitati occurrendo, ſæpe multum mitigat ſymptomata. Sin autem, dum æger hac dicta aceſcente utitur, ulla acoris indicia ſuperveniunt, magnesia vel creta, prout ſymptomata variant, aliquid levaminiſ aſſerunt.

Fructus maturi quoque liberè concedantur; ad febrem minuendam conferunt, et alvum morbi initio plerumque attrictam leniter ſolvunt. Hoc conſilio quoque ſales neutri parvis doſibus concedi poſſunt; vel, quod forſan melius reſponderit, alvus pro re nata clyſmatibus ducenda eſt.

Potus ex aqua ſuper panem toſtum infuſa, e lacte aqua diluto, ſero, aqua hordeacea, vel e cereviſia tenui, ægro bene conveniunt. Fructuum maturorum ſucci aqua diluti, ſitim optime ſedant, et nihil incommodi in ſe habent.

I. Refrigerantia, quibus annumerari possunt sulphas potassæ, acida vegetabilia et fossilia. Succi fructuum acidi a CULLENO aliis anteponuntur. Ne autem fauces irritando tussim excitent, quovis vehiculo mucilaginoso obtundi debent. Postquam autem diu duraverit morbus, hæc remedia caute sunt usurpanda. et tunc malis, quæ a debilitate oriuntur, occurrendum est.

II. Nunc ad consilium secundum perventum est. Inter omnia remedia, quæ sanguinem superficiem versus divertunt, nullum certe vestimentis calidis simplicius, præstantius et, consensu omnium, phthificis accomodatius existit. Hinc indusium laneum induere semper debet æger; et probe curet ne pedes frigori objiciantur. In hac enim regione mutabili, ubi cælum nunc nubibus obductum nunc serenum, et frigus calorem sæpe tam subito excipit, omni cura incumbendum est, ne aliquid male exinde oriatur.

Uno

Uno ore contentiunt medici lenem exercitationem phthilicis multum prodesse; sed dissentiunt multum de genere exercitii huic morbo optime accomodato. Ambulatio plerumque ægrum nimis fatigat; gestatio igitur huic est anteferenda.

Equitatio, navigatio, sedis pensilis motio, unaqueque suos habet fautores. Equo vehi ita laudat Sydenhamus sagacissimus, ut, in epistola quam ad Dr Cole scripsit, non dubitaverit affirmare: “Haud neque mercurius in lue
“venerea, neque cortex peruvianus in inter-
“mittentibus efficaciores exstant, quam in
“phthisi curanda exercitium jam laudatum,
“modo æger curet ut lintamenta lecti probe
“fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa
“itinerata emetiatur.” Sed dolendum est hanc affirmationem haud experientia comprobari:

Navigationem laudibus cumularunt auctores et antiqui et nuperi gravissimi nominis; et

fane jaçtatio maritima, plerumque lenis, constans, et equabilis, rite phthificis præscribatur, et forsan aliis exercitii modis anteponeuda est. De beneficio, ex hoc remedio percipiendo, parum inter medicos dissentitur; de modo agendi non adhuc forsan constat. Quidam volunt effectus bonos, quos præstat, oriri ex particulis resinosis, balsamicis, vel salinis inhalatis, quæ in aere marino abundantia, et in pulmones recepta, ulceribus recta applicantur. Sed, fundamento quam falso nituntur hujusmodi commenta, omnibus perspicuum est.

Apparet ex exemplis a Dre Gilchrist adductis, qui de hoc remedio elaboratè tractavit, omnes fere ægros, qui hoc remedium experiri adducti fuerant, nausea et vomitu tentatos fuisse, quibus nihil fortius sanguinem ad superficiem corporis determinat. Lenis quoque et constans navis motus ad hoc haud parum conferet.

Nuper

Nuper Dr Car. Smith libellum edidit, in quo strenuè contendit, nullam exercitationem meliores præstare effectus, quam ea quæ ex sede pênfili oriatur, et triginta ægrorum, phtlisi laborantium, qui ope hujus remedii omnino convaluerunt, adduxit exempla. Hoc quoque sine ullo sumptu fieri potest; res fanè magni momenti iis, qui arctè inopia premuntur.

Emetica in hoc morbo optimos sæpè præstant effectus. Dr Reid tantum ipecacuanhæ omni mane fumendum solitus est præscribere, quantum vomitum bis vel semel excitaret; et in hoc per totum morbi decursum perstat. Emeticis hoc modo administratis, ventriculus non solum exinanitur, et bilis acris accumulatio præcavetur; sed pulmonibus vomitione compressis, quicquid mucii, vel materie purulentæ, in ramulis bronchiorum, vesiculis aeris, tuberculis, vel vomicis, continetur, expulsum fuerit. Hinc quodammodo incommodis quæ

a tussi perpetua proveniunt, obstat; et pulmones conquiescere permittuntur, donec materies iterum accumulata irritationem renovet.

Cum dolor fixus, pectoris tussiendo exasperatus, jam memoratis evacuationibus non lenitur, experiri licet quid boni præstent epispastica parti dolenti applicata, atque sæpius iterata. Hæc fetaceis sunt anteferenda, quæ semper ægrè feruntur, et ægotantem debilem irritando plus molestiæ faceffant, quam compensaret evacuatio, quæ plerumque admodum parca est.

Infer omnia remedia phthificis præscribenda, certè primas tenet migratio in regiones cælo temperatè calido æquabili præditas. Sed raro ad hoc ultimum decurritur, priusquam morbus immedicabilis evaserit; et æger omnibus aliis frustra tentatis, tandem amiciorem petere terram suadetur; et sæpe, vana elatus spe, antequam optatam attigerit regionem, deperit.

III. Tertium confilium paucis abfolvi poteft. Tuffis interdium mucilaginoſis et demulcentibus ſopienda eſt, quales ſunt, Muc. Semin. Cydon. G. Arab. Tragacanth. infuſ. Sem. Lini et familia fyrupo grato commiſta. Hæc fere miſturis oleaginoſis melius reſpondent, quæ ventriculum et inteſtina non modo gravant, ſed sæpe diarrhœam colliquativam augent, et dyſpepſiam aliquando inducunt.

Hora ſomni ad tuffim leniendam hauſtus fyrupi papaverum, vel tinct. opii porrigendus eſt.

Diarrhœa colliquens ſiſti poteſt elect. catech. gum kino. ext. hæmatoxyl. &c. et præfertim opio.

Ad ſudores matutinos cohibendos infuſ. roſarum ad gratum acorem cum acido ſulphurico vel nitroſo miſtum, propinetur ; tegumenta

lecti

lecti sint levia ; et cubiculum libere aere perflandum exponatur.

Ingeniosus et indefessus Dr Beddoes omni laude dignus, in libro nuper edito, candide fatetur, gasa arte parata parum ad votum respondisse ; duo nova proposuit remedia, digitalem nimirum, et ut ægri aerem stabulorum ubi vaccæ detinentur, spirarent : sed adhuc restat ut hæc usu comprobentur.



EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.
